Stadtbibliothek im Bildungscampus Nürnberg

Bibliographische Daten

Titel:	Alexander de Villa Dei; De forma vivendi monachorum; Perikopen; Novum Testamentum. - Nürnberg, STN, Cent. I, 81
Signatur:	Cent. I, 81

Die Nutzung der Digitalisate von gemeinfreien Werken aus den Sammlungen der Stadtbibliothek im Bildungscampus Nürnberg ist gemäß den Bedingungen der Creative-Commons-Lizenz Public Domain Mark 1.0 uneingeschränkt und kostenfrei erlaubt.

Im Sinne guter wissenschaftlicher Praxis wird gebeten, bei der Verwendung von durch die Stadtbibliothek im Bildungscampus überlassenen Digitalisaten stets die Quellenangabe in folgender Form zu verwenden: Stadtbibliothek im Bildungscampus Nürnberg, [Bestandssignatur + Blatt/Seite]

Im Interesse einer laufenden Dokumentation und der Information für Benutzerinnen und Benutzer erbittet die Stadtbibliothek die Überlassung von Belegexemplaren oder Sonderdrucken von Veröffentlichungen, die aus der Benutzung von Handschriften und anderen Medien in den historischen Sammlungen der Stadtbibliothek hervorgegangen sind. Sollte eine Abgabe nicht möglich sein, wird um Mitteilung der bibliographischen Daten der Publikation gebeten.

Conversus autem ihesus et videns eos sequentes se: dicit eis. Quid queritis. Qui dixerunt ei. Rabbi quod dicitur interpretatum magister. Ubi habitas? Dicit eis. Venite et videte. Venerunt et viderunt ubi maneret: et apud eum manserunt die illo. Hora autem erat quasi decima. Erat autem Andreas frater symonis petri: unus ex duobus qui audierant a iohanne et secuti fuerant eum. Invenit hic primum fratrem suum symonem: et dicit ei. Invenimus messiam. quod est interpretatum xpus. Et adduxit eum ad ihesum. Intuitus autem eum ihesus: dixit. Tu es symon filius iohanna. tu vocaberis cephas quod interpretatur petrus. In crastinum autem exire voluit in galileam: et invenit philippum. Et dicit ei ihesus. Sequere me. Erat autem philippus a bethsaida: civitate andree et petri. Invenit philippus nathanael: et dicit ei. Quem scripsit moises in lege et prophete: invenimus ihesum filium ioseph a nazareth. Et dixit ei nathanael. A nazareth potest aliquid boni esse. Dicit ei philippus. Veni et vide. Vidit ihesus nathanaelem venientem ad se: et dicit de eo. Ecce vere israhelita in quo dolus non est. Dicit ei nathanael Unde me nosti? Respondit ihesus. et dixit ei. Priusquam te philippus vocaret cum esses sub ficu: vidi te. Respondit ei nathanael: et ait. Rabbi. tu es filius dei. tu es rex israhel. Respondit ihesus: et dixit ei. Quia dixi tibi vidi te sub ficu, credis: maius his videbis. et dicit ei. Amen amen dico vobis: videbitis celum apertum et angelos dei ascendentes et descendentes super filium hominis.

Capitulum ii.

Dominica 2a post Epiphanie

Et die tercia nupcie facte sunt in chana galilee: et erat mater ihesu ibi. Vocatus est autem ihesus: et discipuli eius ad nuptias. Et deficiente vino: dicit mater ihesu ad eum. Vinum non habent. Et dicit ei ihesus Quid michi et tibi est mulier. Nondum venit hora mea. Dicit mater eius ministris. Quodcumque dixerit vobis: facite. Erant autem ibi lapidee hydrie sex posite secundum purificationem iudeorum: capientes singule metretas binas vel ternas. Dicit eis ihesus. Implete hydrias aqua. Et impleverunt eas usque ad summum. Et dicit eis ihesus. Haurite nunc: et ferte architriclino. Et tulerunt. Ut autem gustavit architriclinus aquam vinum factam. et nesciebat unde esset: ministri autem sciebant qui hauserunt aquam: vocat sponsum architriclinus et dicit ei. Omnis homo primum bonum vinum ponit: et cum inebriati fuerint tunc id quod deterius est. Tu autem servasti bonum vinum usque huc. Hoc fecit inicium signorum ihesus in chana galilee. et manifestavit gloriam suam. Et crediderunt in eum discipuli eius.

Post hec autem descendit capharnaum ipse et mater eius et fratres eius et discipuli eius. et ibi manserunt non multis diebus. Et prope erat pascha iudeorum: et ascendit iherosolimam ihesus. Et invenit in templo vendentes oves et boves et columbas: et nummularios sedentes. Et cum fecisset quasi flagellum de funiculis: omnes eiecit de templo. Oves quoque et boves: et nummulariorum effudit es et mensas subvertit. Et his qui columbas vendebant dixit. Auferte ista hinc: et nolite